



DE AVRO MEDICO  
PHILOSOPHORVM:

DIALOGVS SCHOLASTICVS.

INTERLOQVVTORES:

Apollonius: Theodorus: Aurelius: Sylvius: Pal-  
ladius.

A P O L L O N I U S.



*EV, quam Vita brevis! Longa Ars! occasio pra-  
ceps!*

*Iudiciumq<sub>3</sub> graue est! ipsa experientia in arte  
Casibus aduersis, dubijsq<sub>3</sub> paranda periclis:*

**T H E O D O R.** Quemnam ego ad me accedentem Philo-  
sophum Hippocrateum audio? Certe meus est Apollonius,  
qui secum ducit Aurelium, Sylvium, & Palladium: viros ut  
eruditione, sic morum & verborum elegantia conspicuos.

**A U R E L.** Salve Theodore, Amicorum optime.

**S Y L V.** Salve vir doctissime.

**P a l l a d.** Salve vir humanissime.

**A P O L.** *Salve Hippocraticis Vir dilectissime Musis:*

*Salve Pieridum lumen, Charitumq<sub>3</sub> Sororum.*

**T H E O D.** Salvete & vos, Amici suavissimi: adventu, con-  
spectuque vestro nihil mihi accidere potest gratius, nihil o-  
prtius.

**A u r e l.** Ignosce nobis Theodore, si parum in tempore te in-  
terpellamus non vocati.

**T h e o d.** Boni ad bonos ( ut ait apud Platonem Socrates )  
accedere solent vel invocati.

**A u r e l.** Quid hic rerum agitur?

**T h e o d.** Legitur, ut vides.

Aurel,